



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

15. Dom. IV. Quad. de multiplic. 5. panum Ioan. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

*illud.* Considera fortitudinem mulieris, quod metu omni excluso Iudæorum calumniantium, gloriam Christi & S. matris elata voce tuetur, eligens potius contemni cum Christo, quam honorari à Pharisæis. 2. cogita Christum ob ingratitude aliorum mœstum, valde recreatum laudē matris, & ideo omnibus aliis relictis conuertisse se ad mulierem & dixisse. Tu vocas meam matrem beatam quod me conceperit, sed ego beatiorē puto, quod verba mea audierit & custodierit, sicut & tu nunc es, omnesque qui ea audita custodiunt.

DOMIN. IV. QVADRAGES. *Letare.*

*De multiplicatione 5. panum.*

*Iohan. 6.*

**C**V M IESVS monte conscenso subleuasset oculos, vidit turbam ingentem tendere ad I. se, rogantique de panibus respondit Andreas. Est puer vnus hic habens quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Considera Christum ex valle montem conscendere, vt doceat nos ad perfectionem vitæ spiritualis tendere, sed non sine labore ad eam perueniri. 2. modestiam Christi oculos semper demittentis, nec subleuantis nisi in cœlum, C & ad

34 MEDITATIONES IN

& ad populum. vt discas duo maximè tibi respicienda, nempe salutem tuam in cœlo, & salutem proximorum. 3. si solo aspectu suo Christus attrahat turbam, quid faciet præsentia in Eucharistia? 4. Christum in miraculo vti ministerio puer; patria relicta dominum secuti, & quidem pauperis, quia hordeaceos habuit panes, vt scias puerorum & humilium opera Deo gratissima.

<sup>2</sup> IESVS gratis actis panes 5. & pisces duos quinque millibus in fœno discumbentibus distribuit. Considera, feruorem tot millium hominum, quod non solliciti de cibo Christum tam longè sint secuti, & summam Dei prouidentiam nunquam in se confidentes deserentis. 2. cogita, si filius Dei, dator omnium bonorum gratias agit Patri pro quinque panibus, multo magis nos viles creaturas debere corde, voce, & opere pro tot beneficiis quotidianis gratias continenter agere. 3. vide, quanto amore panes piscesque frangat, & simplici turbæ, distribuat, memor se aliquando panem cœlestem in extrema cœna, in memoriam piscis in cruce passionis assis distributurum, qui satiet in æternum. 4. cogita illum dignè non accipi, nisi à discumbente in fœno, id est, humiliter de se sentiente, & carnem suam,

DOM. TO TIVS ANNI. 33 *Isa.*

suam, *omnis enim caro fœnum*, ait *Isaias*,  
mortificante & supprime. <sup>40.</sup>

*Collegerunt duodecim cophinos fragmen-*  
*torum.* Considera, quando bona nostra, si-  
ue temporalia, siue spiritualia, etsi pauca  
sint, libenter communicamus proximo,  
non perire, sed crescere & multiplicari, uti  
multi magni eleemosynarij experti sunt. 2.  
maiolem fuisse post saturationem colle-  
ctionem fragmentorum, quam panum, ut  
significaretur indeficientia conuiuij cœle-  
stis in vita æterna consecutura, ubi quisque  
fragmento suo, id est, speciali beatitudine  
ita saturabitur, ut nec esuriat, nec sitiat  
amplius. <sup>3.</sup>

DOM. V. QVADRAG. *Iudic.*

*De immunitate Christi à peccato.*

*Ioan. 8.*

**D**IXIT *Christus Iudæis.* (*Quis ex vobis ar-  
guet me de peccato? Qui ex Deo est, verba  
Dei audit.*) Considera, cum à Christo dica-  
ris Christianus, te conari debere, ut immu-  
nis sis à peccatis saltem mortalibus: & sci-  
re potius esse moriendum, quam in tale  
peccatū consentiendū. deinde deliberatō,  
maximè si religiosus sis, nec consentire in  
venialia, imò etiam cauere imperfectiones

C 2 quæ